Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Bedae expositio in actus apostolorum - Cod. Aug. perg. 153

Beda <Venerabilis>

[Reichenau ?], [9. Jh.]

Tractatus. Liber III

urn:nbn:de:bsz:31-42055

Visual Library

significat. Sicut autem et ad bonos calcatio torcularis et tribula
areae inutilia conterit, utilia probat, sicut ait apostolus:
Pretiosa metalla igne probari; lignum vero, foenum stipulamque
consumi. Quod utrumque extra caelestem agitur hierusalem.
Lacus autem iste eloquendi genere nominatur quo dicitur: In die
malo liberavit eum dominus. Et exiit sanguis de lacu usque ad
frenos equorum. Exiit ultio usque ad rectores populorum.
Usque enim ad diabolum et eius angelos novissimo certamine exiit
ultio sanguinis sanctorum effusi, sicut scriptum est: In sanguine
peccasti, et sanguis te persequetur. Dictum est supra de equis.
Per stadia mille sescenta. Id est per omnes quattuor mundi partes.
Quaternitas enim est conquaternata: Sicut in quattuor fa
ciebus quadriformibus et rotis. Quater enim quadringenteni mil
le sesceni. Tychonius messorem et vindemiatorem ecclesiam
interpretatur. Post persecutionum flammas clarescentem et po
testatem ligandi solvendique tenentem. Angelus de templo
vel altare iubentis imperium dicens dominicum non perspicua voce
sed suggestione spiritus sancti, quo operatur in suo corpore. docens
iam tempus esse malorum anathemandorum. habens potesta
tem super ignem. Utique illum qui exiit ex ore testium et comedit
inimicos eorum. Huc usque de conflictu ecclesiae et utriusque ma
turo fine certaminis. EXPLICIT LIBER SECUNDUS

INCIPIT LIBER TERTIUS

XXXI Et vidi aliud signum in caelo magnum et mirabile. Instau
rato rursus ordine easdem plagas persecutionis no
vissime narraturus, intentum fieri volens auditorem dicen
do signum magnum et mirabile. Angelos VII. id est ecclesiam
septiformi gratia plenam. habentes plagas VII novissimas.
quoniam in illis consummata est ira dei. Novissimas dixit: Quia
semper ira dei percutit populum contumacem VII plagis, id est
perfecta, sicut frequenter in levitico: et percutiam, inquit, vos VII
plagis. quae novissime futurae sunt cum ecclesia de medio eius
exierit. Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne. Fon
tem videlicet baptismi perlucidum igne sancti spiritus consecratum. vel
aliud quod ad ignis poenas qualitatem martyrio rubricatum.